

quæ omnia capta sunt ab apostolis, et nihil remansit incaptum. Ergo sicut apostoli quasi omnia piscium genera eo tractu ceperunt: ita qui labores suos etiam indifferentes dirigit ad Dei gloriam, omnem benedictionem, temporalem et æternam sibi comparabit, et omnia sua opera reddet meritoria. Pisces illos apostoli quidem suo labore ceperunt; piscem vero assum et panem in littore Christus eis paravit. Pari modo si in omni actione sanctam habuerimus intentionem: et nobis victum in terra sufficientem comparabimus et in cælo segura statione portuque salutis parabit nobis Christus panem essentialis beatitudinis, cum pisce accidentalis: atque hoc sibi velle videtur, quod Amos, c. V. ait: *Quærite bonum et non malum, ut vivatis, et erit Dominus Deus vobiscum.*

VIII. Apparuit cum minorato eodem metu apertis eum gressibus in montis vertice quærerent, inquit Beda cit. scilicet in monte Galilææ, Matth. XXVIII. Præmoniti erant discipuli, ut irent in Galilæam, ubi absque timore Dominum viderent et cum eo agerent. Iverunt ergo illuc, et convenerunt cum illis in montem (putatur probabiliter fuisse Thabor) plusquam quinque centos fratres (teste apost. 1. Cor. XV. vers. VI.) quorum in Galilæa plurimos habebat. Ergo quia maximo videnti magistri et Domini sui desiderio illuc confluerunt, videre illum meruerunt, non soli, quibus promissum erat, apostoli, sed etiam alii quam plurimi. Aderit igitur et nobis Dominus, si magno desiderio eum quæramus, et venturum expectemus, ut illi expectarunt. Ita enim legimus etiam, II. Paralip. XV. § II. *Audite me Asa et omnis Juda et Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Qui nullum in mundo voluit esse vacuum, non permittit etiam inane esse nostrum desiderium, quo desideramus ipsum quia: *Esurientes implevit bonis.* Quis enim serio eum quærit, et non tandem invenit? Abraham exultavit ut videret diem ejus: vidit et gavisus est: Zacchæus ascendit in arborem, ut videret eum, vidit et insuper in domum suscipere meruit, magno suo gaudio.

IX. Apparuit recumbentibus: aderit et nobis, cum juxta apostoli monitum: *Sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid agimus, omnia in gloriam Dei facimus;* ait Beda, uti supra. Sed de hoc dictum aliquid superius. Id porro ex hoc docemur adfuturum nobis Dominum etiam in

mensa, si inter edendum fuerimus Dei memores, et quemadmodum Tob. VII. dicitur: *Epulemur benedicentes Deum:* et ut, c. IX. *Si cum timore Domini convivium exerceamus.* Ita enim monemur, Ps. LVII. § IV. *Justi epulantur in conspectu Dei,* q. d. sicut eos decet, qui Deum sibi semper adesse considerat: non sicut illi: *Convivantes sine timore, semetipsos pascentes,* ut ait S. Judas, in sua epist. quales erant Balthasar et optimates ejus ex vasis sacris epulantes et bibentes, Dant. V. sed quales describit S. Ambrosius, in Malach. I. § IX. tom. II. in fin. his verbis: *«Qui est utilis Christianus, semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. apostolus, 1. Cor. X. dicens: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani apostolus voluit esse convivium, ut magis fides Christi, quam prandii sagina comedatur, et plus reficiat hominem Domini nominis frequens invocatio, quam epularum multiplex et copiosa collatio; meliusque pascat esurientem religio, quam sagina.»*

X. «Novissime illis apparuit ascendens in cælum. Aderit et nobis, ut eum post mortem sequi mereamur ad cælos, si ante mortem eum in Bethaniam, unde ascendit, id est, in domum obedientiæ sequi curamus:» et mox: *«Venimus ibidem et nos, si quod ille monet, agimus quod promisit, intendimus,»* inquit Beda. Secura et certa est hæc veniendi ad Christum via, observatio mandatorum ejus. Audivimus enim ante octiduum Dominum dicentem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Vidimus qua ratione possimus obtinere, ut Dominum nobiscum habeamus. Hoc igitur jam agamus. Fuit aliquando Antiochia terræ motibus crebro conquassata, præsertim anno 528. quo in periculo remedium hoc civibus succurrit: *Unusquisque enim civium Christi nomen foribus inscribens, eo modo terræ motum distulit, cum Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: Christus nobiscum, state, ita refert Nicephor. I. XVII. hist. c. III. Igitur et auditores inscribite cordibus vestris hæc, quæ audistis et didicistis ab apostolis et primis Christianis. Sic, ut spero, obtinebitis ut Christus vobiscum sit, et etiam nihil metuatis sed intrepidi stetis, hic in omni adversitate: et ibi in omni felicitate.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCAE XIV.

In illo tempore, dixit Jesus Phariseis parabolam hanc. Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos: et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Juga bovm emi quinque, et eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Et reversus servus, nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

CONCIONES.

- I. S. eucharistia cœna magna.
- II. Facilia creditu ostenduntur circa eucharistiam, quæ hæreticis incredibilia videntur.
- III. Sacrificium missæ assertur.
- IV. De dignitate sacrificii missæ.
- V. Triplices excusatores in quadruplici cœna penitentiaria, evangelica, eucharistica, beatifica.
- VI. Varii modi compellendi homines ad salutem.
- VII. Tria tempora et tres modi, quibus tria hominum genera vocata sunt ad fidem.
- VIII. Quid retinent hæreticos, ne convertantur.
- IX. Documenta.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Adinventes Christi Domini in s. eucharistia institutione.
- II. Accessuros ad s. eucharistiam quales esse debent.
- III. Causæ processionis cum eucharistia.
- IV. Ad processionem corporis Christi vocantur cæci, claudi, debiles, pauperes.
- V. Pompa processionis, quæ fit in festo corporis Christi, explicatur.

CONCIO I.

S. EUCHARISTIA COENA MAGNA.

- I. Ex institutore Christo. — II. Ex magno invitatorum numero. — III. Ex epulis selectissimis. — IV. Ex summa ejus necessitate. — V. Ex maxima utilitate. — VI. Ex maximo periculo.

THEMA.

Homo quidam fecit cenam magnam. Lucae XIV.

Non frustra sane Spiritus sanctus voluit describi, totque coloribus depingi magnum illud Assueri convivium, de quo legimus in lib. Esther, c. I. Præfigurabat enim eucharistiam,

quam instituit Christus ante passionem suam, de qua canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Recte enim per Assuerum, quem interpretantur principem vel caput, Christum intelligimus, qui princeps est regum terræ et caput omnium hominum. Susan vero civitas, in qua convivium exhibitum est, Ecclesiam designat; Susan enim *lilium* significat: de Ecclesia autem sponsus ait in Cantici, c. II. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tabernacula porro, sub quibus plurimæ mensæ ad convivium instructæ, varios episcopatus, in quibus multæ parochiæ sunt, denotant. Quod vero in vestibulo horti regii convivium appa-

tum fuit, significat militantis Ecclesiae convivium: in vestibulo triumphantis dati; ab illa enim ad hanc, gradum faciunt fideles.

Porro hoc convivium recte vocamus cenam magnam, quia major longe et praestantior est convivio Assueri, quod nunc ostendemus.

I. Quia magnus est, qui invitat et cenam exhibet, Christus Deus. Assuerus regum sui temporis maximus fuit, Esth. XI. et XIII. sed Christus multo verius et absolute maximus omnium regum est. Primo, quia fuit rex ab aeterno, adeoque etiam rex natus, uti dicunt magi: *Ubi est, qui natus est rex?* Matth. II. Secundo, quia ipse omnes alios reges instituit, Prov. VIII. *Per me reges regnant.* Tertio, quia regnum ejus non caducum, ut aliorum regum, sed aeternum est, Ps. CXLIV. *Regnum tuum omnium saeculorum.* Quarto, quia universale est. Omnes enim alii reges sunt ejus servi et tributarii, Psalm. LXXI. *Omnes reges servient ei.*

Jam si pro magno habetur, et jure quidem, invitari a rege ad convivium; quanto plus est invitari nos a Rege regum? Certe Aman primus inter Assueri principes pro maxima accepit gratia invitatum se esse a regina ad convivium cum rege. Unde jactabundus ait: *Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege praeter me: apud quam etiam cras cum rege pansurus sum.* Esth. V. Nos igitur non potiori jure poterimus gloriari, invitatos esse nos ab ipso Dei Filio? Porro Assuerus convivium illud instituit duas ob causas. Primo, ut ostenderet potentiam et divitias gloriae regni sui: secundo, ob primordia regni sui Susani, seu sedis collocatae in Susan, ut colligitur ex Hebraeo textu; Christus similiter instituit cenam suam. Primo, ob initium regni sui, quod perfecte cepit in passione, quando sedem suam posuit in cruce. Ergo immediate ante passionem instituit memoriale passionis suae; in qua se ita pro nobis morti in escam, ut sic dicam, tradidit, sicut se nobis in eucharistia tradit.

Secundo, ut ostenderet in eucharistia divitias potentiae, sapientiae, et bonitatis suae. Potentiae, quia unico verbo et momento plurima edidit miracula, tam in pane quam in suo corpore, cum panem mutavit in corpus suum; cum accidentia sustentavit sine subjecto; cum se in pluribus locis, totum in exigua quantitate constituit, etc. Bonitatis et charitatis, quia seipsum nobis in alimentum tradidit et secum omnia sua: virtutes, merita, gloriam. Sapientiae vero quia modum ineffabilem adinvenit communicandi se hominibus et intime uniendi, ita ut ex ipso et in ipso vivamus, sicut palmites ex vite.

II. Quia plurimi sunt invitati. Assuerus ad convivium suum invitavit omnes principes et

pueros suos, necnon omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum. Multo majus est convivium Christi. Id enim exhibuit primo, apostolis suis, et per eos postea universum orbem ad illud invitavit, et exhibet hodieque omnibus, quotquot sunt fideles, nullo prorsus discrimine. Admittuntur summi, admittuntur infimi; nihilo plus, nihilo minus istis apponitur sumendum. Et cum jam tot saeculis tot millia hominum saturata sint hac mensa; nihil tamen ei demptum est, sed manet adhuc plena et cibus instructissima. Convivium Assueri duravit annum medium, centum videlicet octoginta diebus. At convivium Christi durat jam annis 1600. et durabit ad finem mundi. Convivio Assueri semel tantum frui licebat: at convivio Christi frui licet, quoties placet.

Deinde, ut in convivio Assueri multi erant ministri (quos Josephus vocat diaconos) mensis praepositi: ita in Ecclesia longe plures sunt ministri ss. eucharistiae, sacerdotes et diaconi, ad hoc sanctificati et caelesti caractere insigniti, qui mensae Domini praesunt et attendunt ad eorum mores, quomodo quisque communicet, etc.

III. Quia epulae selectissimae. In convivio Assueri cibi erant varii aliis atque aliis vasis illati, et sine dubio lautissimi, siquidem: *Persici apparatus* proverbio celebrantur. Vinum dicitur fuisse abundans et praecipuum. In convivio Christi cibus et potus tam selectus est, ut praestantior esse non possit. Est enim Christus primo, cum sua divinitate, quae est fons omnis boni: secundo, cum sua anima, omnis sapientiae, gratiae et virtutum plenissima, creaturas omnes sua perfectione longe superante: tertio, cum carne sua benedicta, a Spiritu sancto ex virginea Matris carne formata, ipsi divinitati hypostatice unita: quarto, cum sanguine suo pretioso pro nobis effuso, cujus unica gutta infinitum habet valorem, et pretiosior est omnibus omnium sanctorum meritis. Quid ultra cupediarum desiderare possumus? *Magna miseria*, dicebat S. Franciscus, (ut habetur in ejus ep. ad sacerdotes sui ordinis, quae habetur, to V. biblio. ss. pp.) *et miseranda infirmitas, quando ipsum (Christum) sic praesentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat et caelum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi.* Sic ille.

Deinde, cibus eucharisticus mira arte confectus est. Nam primo, per consecrationem uno verbo et in momento mutatur panis in corpus Christi: secundo, accidentia panis remanent sine subjecto: tertio, Christus cum tota sua naturali quantitate est in parva hostia et in quavis

ejus parte, si frangatur: quarto, est simul in pluribus locis, ubicumque videlicet sunt hostiae consecratae: quinto, nihil in hostia patitur, licet ea frangatur, pungatur, comburatur, etc. sexto, semper durat hic cibus, et permanat tam recens, quam in ipso institutionis die fuit.

IV. Quia cena haec omnibus maxime necessaria est. In convivio Assueri quia regina ad jussionem regis comparere noluit, iram regis incurrit et repudiata est ab eo. Idem a Christo expectent qui cenam ejus spernunt. Quare in hunc sensum possumus intelligere, quod legimus in hodierno evangelio, iratum patrem familias iis, qui venire ad cenam noluerunt, dixisseque: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam.* Hoc enim et illis eveniet, qui cum opus est (v. g. tempore paschali, in lethali aegritudine, vel alio mortis periculo) eucharistiam sumere contemnunt. De ea enim Dominus ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joann. VI. Constituta est enim eucharistia a Christo tamquam viaticum necessarium nostrae peregrinationis, ita ut sine eo (saltem in voto suscepto) pervenire ad patriam non possimus. Quo videtur allusisse Christus, cum dixit Marci VIII. *Misereor super turbam, quia non habent quod manducant, et si dimisero eos jejunos, deficient in via.* Ut enim sine cibo corporali diu vivere, aut progredi non potest corpus, sed cito debilitatur et corrumpitur tandem: ita suo modo anima sine cibo spirituali. Qua in re figurata est eucharistia in pane illo subcinericeo, quo refectus ab angelo Elias ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb, III. Reg. XIX.

V. Quia maxime utilitatis. In convivio suo Assuerus valuit convivas exhilarare, sibi devincere et reginae suae pulchritudine ostensas oblectare: sed longe major fructus cenae Christi Domini. Praeter enim effectus ejus ordinarios, quos alibi recensuimus, saepenumero parit extraordinarios, miros et magnos. Nam primo, olim martyres roboravit, et animavit ad martyria, et quaevis acerba fortiter perferenda, ut patet ex Cypr. I. I. ep. II. ad Corn. eaque de causa eucharistiam tempore persecutionis domum deferrebant, ut illam instante martyrio sumerent; quod etiam pontifex concessit Mariae Scotiae reginae (quae ab impia Elisabetha Angla perfide necata est), cum sacerdote destitueretur, Florimund. Raymund. de orig. haeres. part. II. Ob eandem causam statuit Anacletus, ut omnes Christiani missae praesentes, sub ea communicarent, ob incrudescentem Trajani persecutionem.

Secundo, armavit contra hostes ad victoriam parandam. Quae de re haec summam narrat

Cornelius a Lapide, in c. IX. Zach. Otho imperator praelium commissurus cum Hungaris, prius cum suis eucharistiam sumpsit, ac deinde dimicans ingentem hostium numerum trucidavit, et illustrem victoriam obtinuit, anno Domini 955. uti scribit auctor vitae S. Uldarici, et ex eo card. Baronius, qui et anno Domini 1040. ex Curopalata et Cedreno narrat, Catalacum praefectum Michaelis imperatoris magnas Saracenorum copias Messanam invadentes profligasse, militibus ante aciem sacro viatico communitis. Idem solitum facere ante praelia Henricus imperatorem maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano et Bonifacio narrat, anno Domini 1022. Scribit Theodor. I. III. hist. c. III. Constantium, Magni Constantini filium, milites suos hortatum ad percipiendam eucharistiam ante certamen cum Magnentio. Idem fecisse Christianos in bello sacro cum Hierosolymae obsiderentur, scribit Guliel. Tyrius, et ex eo Molanus, in natal. Belgii, 15. julii, appendice II. Memorabilis fuit victoria, quam virtute eucharistiae et s. crucis de Saracenis retulit Alphonsus VIII. rex Castellae, sub Innocentio III. pontif. anno Domini 1212. die 16. jul. Cum enim rex cum omnibus militibus suis ante praelium sacra confessione et communione sese communiasset, ac Rodericus archiepiscopus Toletanus crucis vexillum in barbaros intulisset, caesa sunt ad ducenta Saracenorum millia, viginti quinque dumtaxat e Christianis desideratis. Quocirca annuam tanti miraculi memoriam celebrant Hispani festo, quod nuncupant triumphum s. crucis, die 16. julii. Rem gestam scripsit rex ad Innocentium III. Pontif. et Rodericus archiep. Tolet. lib. VIII. hist. c. 1. atque ex iis p. Ridadeneira, in vitis sanctorum, die 16. julii. Non minus illustris fuit victoria, quam de iisdem eadem armatura obtinuit Ramirus rex, anno Domini 834. Cum enim Ramirus ab iis caesus sese cum suis recepisset ad montes, afflictusque Deum obsecraret, apparuit ei S. Jacobus mandans, ut milites omnes sacra confessione expiaret, et sancta communione reficeret; itaque hostes invaderet in clamans nomen Dei et S. Jacobi: se enim equo candido castra praetiturum, et hostes dispersurum. Ita factum, quocirca in eo praelio ceciderunt septuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hispanis in praeliis in clamare consueverunt S. Jacobum, ita Ridadeneira, in vita S. Jacobi. Hoc imitentur duces et milites christiani, ac similes de inimicis fidei triumphos reportabunt.

Tertio, roboravit infirmos. Scribit S. Bonaventura, in l. de perfectione ad sororem, saepe personas debiles s. synaxi tantum sentire roboris, consolationis et laetitiae, ut ab ea robusta discedant perinde ac si nulli infirmitati essent

obnoxia. Scribit S. Gregorius Nazianz. orat. XIX. in funere patris, patrem suum ardentissima et diuturna febri exhaustum sumpta s. eucharistia convaluisse subditque idem aliquando matri suae contigisse.

Quarto, aliquos sustentavit sine omni corporali cibo, uti Joannem monachum in hist. Lausiaca Palladii, c. XV. Ludovicum Pium imperatorem in supremo morbo, quo obiit, per dies quadraginta apud Thom. Boz. de sign. eccl. to. l. XV. c. II. puellam in ditione Tullensi per triennium, apud Sigebertum, in chron. anno Domini 833. S. Mariam Oigniacensem durante infirmitate, apud card. Vitriac. in vita, l. II. c. XII.

VI. Quia cœna est maximi periculi, si nimirum ad eam indigni accedere præsumant. In convivio Assueri apponebatur vinum abundans et præcipuum (Hebr. *vinum regni*, hoc est, optimum et generosissimum) et propterea, quia periculosissimum erat, ne multi eo abuterentur in suam perniciem, existimo regem præcepisse ne alter alterum cogeret ad bibendum. Immediatè enim subditur: *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, etc.* Esther 1. Similiter in cœna Christi non apponitur communis panis et vinum, sed panis et vinum regni, id est, celeste, angelicum, divinum. De quo vino intelligo id Christi: *Nemo vinum novum mittit in utres veteres, alioquin dirumpet vinum utres*, Marci II. Vinum novum est eucharistia, quam quia Judas indigne sumpsit, (probabile enim est accepisse, ex S. Luca, et sententia August. tr. LXII. in Joan.) *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus*. Quare apostolus præcipit corpus Domini dijudicandum, id est, non pro communi pane sumendum. Ait enim 1. Cor. XI. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Idque confirmat ipso rei eventu subdens: *Ideo inter vos multi infirmi et dormiunt multi*, id est, infirmantur et moriuntur, quia scilicet indigne communicarunt. Sane olim ob hoc peccatum aliqui vexati sunt a dæmone, ut testatur S. Chrysost. in 1. ad Tim. hom. V. et S. Cyprianus, serm. de lapsis, scribit plures, qui post gustata idolothyta indigne communicarant, varie punitos fuisse, vel enim eucharistiam eos removere debuisse, vel attingere non ausos, vel cinerem pro ea in manu invenisse, vel a spiritibus immundis agitados, vel obmutuisse, vel linguam propriam discerpisse. Memorabile etiam est, quod contigit Lothario Francorum regi et complicitibus ejus, anno Domini 888. quando Romæ ab Hadriano papa simulata cum penitentia et absque retractione sceleris, eucharistiam acceperunt. Omnes enim illi divino judicio percussi, ab hac luce subtracti sunt

antequam subsequenti anni rediret principium: perpauci, qui se a communione subtraxerunt, vix mortis periculum evaserunt. Porro Lotharius Roma egressus morbo corripitur et Placentiam civitatem perveniens, diem clausit extremum, ut describit Regino, apud Baron. anno 868.

Hinc canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus*. Sic mel nocet cholericis, prodest phlegmaticis: sic eadem columna illuminavit Hebræos, excæcavit Aegyptios, Exod. XIV. ut habetur ex Chaldæo: sic ex eodem fonte Hebræi hauriebant aquam claram, Aegyptii vero sanguinem, ut scribit Josephus: sic ex eodem flore apis sugit mel, aranea venenum. Quare ne de salutis fonte hauriamus nobis mortem damnationem: Probet seipsum quisque, et sic de pane illo edat. «Necessè est, inquit, S. Greg. I. IV. dial. c. LIX. ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Dominiæ mysteria celebramus, debemus imitari quæ agimus. Tunc enim vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus.»

Sed ii qui modis aliis s. eucharistiam irreverentiam intulerunt, ultricem sæpe Dei manum experti sunt. Anno namque Domini 1278. in Trajecto superiori cum in ponte multi choreas ducerent, interimque ad ægotum eucharistia in viaticum deferretur, nec illi choreas intermitterent, ducenti in Mosam fluvium demersi sunt, ponte cum divino miraculo cadente; cum jam sacerdos cum eucharistia præterisset, unus tantum ex iis salvus fuit, haud dubie futuri salvi omnes, si eucharistiam venerabundi fuissent secuti. Hæc Nauclerus gener. XLIII. in fi. Cranzius, in metrop. l. VIII. c. XXXIX. sed et anno 1248. ob unius pugilis habitam eucharistiam irreverentiam, tota Prisia, æstu maris demersa est, periissequè memorantur centum et eo amplius hominum millia, Naucler. gen. XLI. sub finem Trithem. chron. Hirsaug.

Quum igitur, auditores, tam magna est hæc cœna, sit magna etiam nostra erga eam reverentia: magna pietas et devotio ad eam adorandam: magna humilitas et abjectio ad eam venerandam: magna præparatio ad eam suscipiendam.

CONCIO II.

FACILIA CREDITU OSTENDUNTUR CIRCA EUCARISTIAM, QUAE HERETICIS INCREDIBILIA VIDENTUR.

I. Prius scopulus Sacramentariorum. Quod non potuerit Christus se constituere in eucharistia. At: 1. Potest Christus mutare panem et vinum in corpus suum. 2. Potest Christi corpus simul esse in pluribus locis. 3. Potest totus Christus sub

exigua panis specie existere. 4. Potest latere sub speciebus panis et vini. 5. Possunt accidentia existere sine suo subjecto; ergo potuit se constituere in eucharistia. — II. Secundus scopulus: Quasi non voluerit Christus: sed objectionibus respondetur.

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Luc. XIV.

Jure merito cœnam magnam interpretari possumus sacram eucharistiam, ubi præstantissimum illud epulum gloriosi corporis Christi cum pretioso ejus sanguine, beatissima anima, infinitis meritis, ipsaque divinitate sumendum Christianis apponitur. Sed enim cœnæ illi, quantumvis omnium maximæ, detrahunt sectarii, maxime Calvinistæ, qui pro illa fictam cœnam apponunt; dum asserunt ad figuratam tantum cœnam nos a Christo invitari; siquidem præsentiam Christi realem ab ea tollunt, et figuram ei substituunt: similes Heliogabalo imperatori orbis portento, qui cum aliquando populum Romanum ad convivium invitasset, apparatu splendidissimum, et plurima turba confluisset, convivium expectans, tum nonnisi cibos pictos et fictitios afferri curavit fucataque fercula; ita ut convivæ delusi majori cum fame recesserint quam advenirent, ut scribit Ælius Lamprid. in Heliogab. Ad eundem modum Calvinistæ, tametsi nos Christus ad veram corporis sui communionem invitavit, fictitiam substituunt et figuras tantum apponunt, unde nemo reficitur, nemo confortatur. Sed absit ut a pingui Christi convivio, ad umbraticum et ludicrum hoc convivium abduci nos patiamur, monet enim Sapiens, Prov. XXIII. *Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mandacii*. Veritatem instituit Dominus: *Caro mea vere est cibus: accipite et comedite, hoc est corpus meum*. Isti mendacium obtrudunt, figuras substituunt non minori stultitia quam temeritate sed quid tandem causæ est, quod veram catholicorum cœnam aversentur et fictitiam comminiscantur? Quid tandem illos retinet, quod cœnam nostram aversentur? Audiamus.

I. Quandoquidem habemus expressa Christi verba: *Caro mea vere est cibus: Hoc est corpus meum, etc.* Habemus consensum Conciliorum et sanctorum patrum, praxin Ecclesiæ perpetuam, miracula innumera; quid est, o hæretici, quod vos ad hanc cœnam venire nolitis: quid tandem vos retinet? Duo sunt quæ eos retinent: primo, putant Christum facere id non potuisse: secundo, non voluisse. Igitur respondent primo, intelligi non posse, quomodo fieri queat, ut panis et vinum mutetur in corpus et sanguinem Christi: ut idem corpus Christi simul sit in

pluribus locis: ut ipse existat totus sub tam exigua specie: ut dum vident oculi nostri panem et vinum, nos discamus et credamus esse corpus et sanguinem Christi: et si hoc sit, ut accidentia panis et vini maneant ibi sine subjecto. Hæc, inquit, mirabilia. incredibilia videntur, ideoque ad cœnam vestram non venimus, habete nos excusatos. Sed numquid non legistis: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se?* Ps. C. manna videlicet in deserto. Quod cum figura tantum esset eucharistia, tanta tamen miracula continebat, quid mirum si plura et majora continebat eucharistia: manna angelorum manibus conficiebatur, mutatione alterius corporis, ut aeris in panem: et quanta in eo mirabilia? Licet alii minus, alii plus colligerent, nemo tamen domi plus inveniebat, quam eandem mensuram gomor scilicet: quia angelus id quod minus erat, rarefaciebat: id quod plus, condensabat, ut singuli haberent unum gomor, ut Abulensis censet et alii: habebat sapes omnium ciborum, quos quisque appetebat, saporem carnis, herbarum, pultis, etc. ad solem liquefiebat, ad ignem vero nequaquam; in crastinum servatum mox vermibus scatebat, præterquam in sabbato; feria sexta duplum semper depluebat, sabbato nullum; asservatum juxta præceptum Dei, multis sæculis incorruptum mansit; denique, per annos quadraginta depluebat continuo, tam hieme, autumno, quam vere et æstate. Quæ omnia angelorum ministerio peracta fuere, ut propterea panis angelorum vocaretur a Davide manna, Ps. LXXVII. Non debeat igitur, vel non possit Christus majora mirabilia ostendere in eucharistia, cujus figura tantum erat manna? Sane ut hujus suæ potentiae fidem astrueret in discipulis suis, omnibusque fidelibus: non multo ante institutionem eucharistiæ omnium maxima patravit miracula, ut cum quinque panibus multiplicatis pavit hominum quinque millia: cum cæcum natum illuminavit, quod a sæculo non fuit auditum: cum Lazarum e sepulcro quatruiduanum excitavit.

Primo, igitur non potuit Christus mutare panem et vinum in corpus et sanguinem suum, qui in Cana Galilææ potuit mutare aquam in vinum? Audi Cyrillum Hieros. in catech. mystagog. XIV. «Aquam Christus aliquando mutavit in vinum, inquit, quod est sanguis propinquum in Cana Galilææ sola voluntate: et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit?» Quid, quod ipsemet diabolus credidit Dei Filium unico verbo posse lapides convertere in mollem panem: *Si Filius Dei es, inquit, dic ut lapides isti panes fiant*. Peiores